

Politikai
röpiratek.

157.



157

1399

A'

JÁSZOKNAK ÉS KUNOKNAK

DICSÓ EMLÉKEZETŰ

MÁRIA THERÉZIA

KIRÁLYNÉ ÁLTAL

1745^{dik} ESZTENDŐBEN

ADATOTT

KEGYELMES KIR.

KIVÁLTSÁGOS⁴ LEVÉL.

3. / a.

PESTEN,

NYOMT. TRATTNER-KÁROLYI BETŰIVEL,

URI UTSZA 612d. SZ.

1839.

JANUARY 18 1864

RECEIVED

AMERICAN ASSOCIATION

OF THE

TELEGRAPHIC ARTS

1864

NEW YORK

AMERICAN ASSOCIATION

AMERICAN ASSOCIATION

NEW YORK

AMERICAN ASSOCIATION

NEW YORK

1864

Nos Maria Theresia Divina Favente
Clementia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalma-
tiae, Croatiae, Slavoniae, Ramae, Serviae, Gal-
liciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariae; Ar-
chidux Austriae; Dux Burgundiae, superioris, et
inferioris Silesiae, Mediolani, Styriae, Carinthiae,
Carnioliae, Mantuae, Parmae, Placentiae, Lim-
burgi, Luxemburgi, Geldriae, Virthembergae;
Princeps Sveviae; Marchio Sacri Romani Imperii,
Burgoviae, Moraviae, superioris, et inferioris Lu-
satae; Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis,
Ferretis, Kyburgi, Goriti, Gradiscae, et Arthe-
siae; Landgrafia Alsatiae; Comes Namurci, Do-
mina Marchiae Slavonicae, Portus Naonis, Sali-
narum, et Mechliniae, Nupta Dux Lotharingiae,
ac Barri; Magna Dux Hetrueriae etc. „Memoriae
commendamus tenore praesentium significantes, qui-
bus expedit universis: Quod Fideles Nostri, Pru-
dentes, et Circumspecti, Andreas Horváth, Joa-
nes Nánássy, et Stephanus Varró, qua Regio
Coronalium Districtum Nostrorum Jazigum et
Utriusque, Majoris videlicet et Minoris Cumaniae, in
iisdemque sitorum universorum Locorum Deputati,
et coram Personalis Praesentiae Nostrae Regiae
in Judiciis Locumtenente, et actuali Intimo Con-
siliario, Fideli nostro, Nobis sincere dilecto, Spe-

ctabili, ac Magnifico Comite Antonio Grassalkovich de Gyarak, sub die vigesima octava praeteriti Mensis Februarii, legitime constituti Plenipotentiarii, suis, ac reliquorum universorum Jazigum, et Cumanorum, seu Phylisteorum, Nominibus, et in Personis, exhibuerunt, et praesentarunt Nobis varias antiquas, et vetustas Literas Privilegiales, diversorum olim Hungariae Regum, gloriosae memoriae Praedecessorum Nostrorum, de, et super certis Eorundem Immunitatibus, Libertatibus, et Praerogativis sonantes, demisse in eo supplicantes, quatenus benigne consideratis tum Antenatorum, et in iisdem Districtibus olim etiam existentium Praedecessorum suorum, pro diversitate Occasionum, et Circumstantiarum, persaepe cum Sangvinis etiam profusione, Divis olim Regibus Hungariae, et Sacrae Regni Coronae praestitis fidelibus, atque utilibus Obsequiis, tumque etiam propriis Ipsorum Servitiis, et Meritis, diversis Occasionibus pro Rege, ac Regno, communique Salute, ac jam Majestati quoque Nostrae fideliter aequae, ac utiliter: Signanter vero, dum occasione postremae Tartarorum in Regnum nostrum Hungariae Irruptionis, et Partium Trans Tybiscanarum inundationis, et hostilis Devastationis, praeterito Bello Turcico interventae, moderni praefatorum Districtuum Incolae, et Inhabitatores notabili Numero, arreptis Motu proprio Armis, praefatos Tartaros, Partium illarum Incolas in di-

ram Captivitatem abigentes, Loca incinerantes, Ferroque, et Igne in praenotatas Partes hostiliter grassantes, fideliter persecuti, ereptis plurimis e manu Eorundem Captivis, cum ingenti Publici bono, e Regno profligari juverunt, dein vero in supprimendis Pacem, et Tranquillitatem publicam turbare volentibus nefariis, et seditiosis Perroianis Asseclis; In expediendis item adversus Mollimina Regis Borussiae in Silesitica Castra Nostra, Armis, et aliis omnibus Militaribus Requisitis bene provisus quadringentis Equitibus; Phalangis item Legionis Hallerianae in Comitatu Bekessiensi adversus Officiales eidem praefectos temultuantis oppressione praestitis, et in futurum quoque pro Viribus suis pari fidelitate, et alacritate praestandis Servitiis, praexhibita avita Ipsorum Regia Privilegia, in quantum Legibus Regni non adversarentur, extractive clementer confirmare, Possessiones, et Praedia universa, ad Districtus ab antiquo spectantia, pro usu Inhabitatorum eorundem Districtuum clementer concedere; Super Exercitio autem Juris Gladii benignam Concessionem iisdem Privilegiis per expressum inseri facere dignaremur. Unde Nos attentis, et consideratis cum nonnullorum Fidelium Nostrorum demissa Commendatione, tum et antelatorum Jazigum, et Utriusque Cumaniae Incolarum, et Inhabitatorum, humillima Supplicatione, Nostrae propterea facta Majestati, tum vel maxime ex eo, quod dicti Tres Distri-

ctus, et eorum Incolae pro moderna etiam gravissima Belli Necessitate Nostra, propriis suis Sumptibus, et Expensis, Mille Equites, Armis, et aliis Requisite Militaribus bene instructos, pro Servitio Nostro Se daturos, et statuturos, et in futurum quoque, in Casibus Generalium, vel Particularium Regni Insurrectionum, Se juxta Vires, et Possibilitatem suam insurrecturos; Ac praeterea Semet pro Sui Redemptione Domui Invalidorum Militum Nostrorum Festiensi, velut eosdem Tres Districtus hactenus possidenti, Quingenta millia, ac pro Meliorationum Sumptibus, et Expensis aliis quindecim millia Florenorum Rhenensium Semet deposituros; Ac praeter et ultra publicam Regni Contributionem, Ipsi a proportione obvenientem, in sortem Salarii Palatinalis, quod nunc ex Aerario Nostro Regio solvitur, annue adhuc ter mille Aureos Ducatos, duodecim mille sexcentos Florenos Rhenenses facientes, ad Aerarium Nostrum Regium Camerale de Tempore in Tempus rite Semet persoluturos appromiserint, imo Scripto etiam, medio supranominatorum suorum Plenipotentiariorum, sub die vigesima Mensis Aprilis, et Anni currentis Semet ita, ut Corpus Eorundem Districtuum, etiam pro illis Locis, qui ad praedectas Conditiones accedere nollent, stare debeant, firmiter, et in Solidum obligaverint, et obstrinxerint, Instantia antelatorum Andreae Horváth, Joannis Nánássy, et Stephani Varró, suo

et reliquorum universorum Jazigum, et Cumanorum Nominibus, modo, uti supra facta, clementer admissa, et exaudita, praeexhibitae aitas Literas Eorundem Districtuum Privilegiales, in quantum Legibus Regni non adversantur, et pro moderno Ipsorum Statu, et Usu ipsis deservire possunt, in subinsertis Punctis, benigne confirmandas; Ac insuper ex speciali, et nova Regia Gratia, et Munificentia Nostra, iisdem praefatorum Trium Districtuum Incolis, et Inhabitoribus etiam Jus Gladii, seorsive in quolibet Districtu, modo abinfra denotato, libere exercendum, clementer superaddendum, et concedendum esse duximus. Quorum itaque Confirmationis Punctorum Privilegialium Series, et Tenor in hunc modum sequitur. Et quidem

Primo: Ut ipsos praefatorum Trium Districtuum Incolas, et Inhabitores in Causis praecise contra Ipsos motis, nullus omnino Judicum, vel Justitiariorum Regni, Ecclesiasticorum videlicet, et Saecularium, praeterquam Regni Palatinus, qua Judex Cumanorum, et illius Capitaneus, ac etiam Capitanei, et Judices Ipsorum, in medio Ipsorum constituti, ad cujusvis Instantiam, et in quibuscunque Causis, exceptis duntaxat ad Forum Ecclesiasticum de Jure spectantibus; et praeterea Metalibus, in Articulo decimo nono Anni millesimi sexcentissimi trigesimi quinti declaratis; Vel respectu Rerum, ac Bonorum extra Districtus, per ipsos, vel Ipsorum aliquem possessorum; Vel

etiam Delictorum extra Districtus commissorum, si in Loco Delicti comprehensi fuerint, movendis, judicare, vel Judicatu suo adstare, compellere possit, aut valeat.

Secundo: Idem Jaziges, et Cumani, intra ambitum Regni, de Eorum Personis, et Mercibus, ac quibusvis Rebus Secum habitis, ad nullam penitus tributariam Teloniorum vel Naulorum Solutionem compellantur, vel adstringantur, Regias tamen Tricesimas, ab omnibus Eductis, et Inductis solvere obligentur.

Tertio: Ut a nullo Judicum, et Justitiariorum Regni, pro Debitis, sive propriis, sive alienis, vel aliis etiam quibusvis Praetensionibus, in Personis, vel Rebus suis arestentur, detineantur; vel Judicatu Ipsorum, in quantum extra Districtus possessionati non essent, stare cogantur, verum Eosdem, ut supra, coram suis Capitaneis, et Judicibus convenire teneantur.

Quarto: Ut supremum, seu Palatinalem Capitaneum, ipsemet Regni Palatinus constituat, sub Illius autem Praesidio ipsi Incolae, et Inhabitantes suos Capitaneos, Assessores, et alios necesarios Officiales Districtuales; Judices vero, et reliquos Locorum Servitores, soli Incolae, et Inhabitantes Locorum e medio Sui, vel aliunde etiam, si inter ipsos apti, et idonei pro hoc, aut illo Officio non reperirentur, libere eligere valeant. Et quia

Quinto: Ex particulari sane Gratia, et Benignitate Nostra, dictis Districtuum Incolis, principaliter etiam id clementer concessissemus: Ut Semet a Domo Invalidorum Militum Nostrorum Pestiensis, depositis modo praevio deponendis, redimere possint; Igitur facta eadem redemptione, persolutisque in futurum etiam iis, quae ad rationem Quanti Nostri Contributionalis, ac praeterea in sortem Palatinalis Salarü Aerario Nostro Regio Camerali annue (uti praemissum est) praestare tenebuntur, liberam Territoriorum, et Praediorum suorum, ad eosdem tres Districtus de Jure, et ab antiquo spectantium, signanter vero: Oppida Jász Berény, Kardszagújszállás, et Halass: Possessiones item Árokszállás, Apáthi, Fénszarú, Felső seu Gáál Szent György, Dósa, Jákohalma, Mihályteleke, Alsó Sz. György, Ladány, Kisér, Madarász, Kúnhegyes, Kisújszállás, Túrkevi, Kún Szent Márton, Philip szállása, Szabadszállása, Kún Szent Miklós, Laczkháza, Dorosma, Félegyháza, et Mayssa. Praedia praeterea: Boldogháza, Ágó, Négyszállás, Szent András, Asszonyszállás, Magyarka, Bóltsa, Ködszállás, Orgonda, Szent Miklós, Kápolnás, Fabiánka, Kolbász, Kiss, et Tóó-Turgony, Marjalaka, Kis-Kaba, Móritz, Pohamara, Csorba, Mesterszállása, Bodoglár, Tajó, Kis Balás, Bösztör, Báfony, Kátó, Csókás, Lajos, Misse, Kocsér, Kara, Szent László, Móritzgáttya, Szank, Orgovány, Kisszállása, Galambos, Ferenczsál-

lása, Jakabszállása, Bene, Csólyos, Ágasegyháza, Pálka, Kömpöcz, Matkó, Kerekegyháza, Átokháza, cum eo pertinente Diverticulo Seregélyes, Pálos, Üllés, Zsana, seu Kőkút, Mérges, Kigyós, Fejértó, Füzes, Balota, et Jakabháza, in quantum sive per Ipsos, sive vero ad rationem dictae Domus Invalidorum Militum Nostrorum hactenus realiter possessa fuerunt, utendi, et fruendi, non tamen abalienandi habeant potestatem. Porro

Sexto: Praefatis Jazigum, et Cumanorum Districtibus, eorundemque Locis etiam id liberum erit, ut quosvis liberae migrationis, et Conditionis, ad eoque nulli Domino Terrestri obligatos Advenas undecunque advenientes in medium sui recipere, et eosdem ad praestanda in medium Ipsorum publica, et Communia Onera, ad instar reliquorum Incolarum suorum adstringere, receptos tamen et per Dominos Terrestres repetitos colonos, observatis tamen de Jure observandis, edoctisque ad mentem Legum edocendis, sub Poenis legalibus, Repetentibus restituere teneantur. Et sic

Septimo: Universi praefatorum Districtuum Jazigum, et Cumanorum Incolae, et Inhabitatores, quoad praemissa Communia eorundem Districtuum Privilegia, et Beneficia paris Conditionis sint, aequalibusque gaudeant Immunitatibus, et Praerogativis. Demum

Octavo: Locorum Communitatibus Romano-Catholicis, in iisdem Districtibus sitis, Jus etiam Patronatus eo modo benigne concedimus: Ut in

casu cujuspiam Parochiae Ipsorum Vacantiae, aptum, et idoneum, bonaeque vitae, ac Morum Presbyterum, ordinario Episcopo suo Dioecesano, vel ejusdem in Spiritualibus Vicario, pro Plebano Ipsorum praesentandi facultatem habeant, praesentatum tamen, et Canonice introductum, debita reverentia, et honore prosequi, Proventusque Ejusdem consuetos Eidem administrare, et coeteras Patronis Ecclesiarum incumbentes Obligationes rite adimplere debeant; Ultra haec autem omnia

Nono: Ex speciali nova Gratia, et Munificentia Nostra, praerecensitis Libertatibus, et Praerogativis, etiam hoc superaddimus, et benigne concedimus: ut omnes tres saepe fatorum Jazigum, et Cumanorum Districtus, in medio Ipsorum Jus quoque Gladii, sub Praesidio tamen, et directione Palatinalis Capitanei, adhibitisque Districtualibus Ipsorum Capitaneis, et Assessoribus, convocatisque etiam aliis e medio Ipsorum, vel aliunde etiam (si opus fuerit) Juris peritis, et Justitiam amanti-
bus Viris, pro Juris, et Justitiae exigentia, ad instar Magistratum Comitatus, et aliorum ad id Privilegiatorum, libere exercere possint, atque valeant; Salva nihilominus tam in Criminalibus, quam Civilibus Eorundem Causis, in quantum de Lege Regni appellabiles sunt, ad Palatinum Regni, pro tempore constitutum, velut legalem, et privilegialem Cumanorum Judicem; Officio vero Palatinali vacante, ad Regium Locumtenentem, eo autem

non existente, ad Curiam Nostram Regiam, intra, vel extra Dominium Appellata: Huius tamen, et aliorum Juridicorum, Politicorum, Provincialium item, et Domesticorum ulterioris eorundem trium Districtuum regulationis intuitu, interea, ac donec aliter circa regulandum eorundem Statum, Conditionem, et Obligationem, in futura generali Regni Diaeta dispositum fuerit, Regni Palatino benigne commitemus, ut Is eatenus auditis etiam ipsis Districtibus, Projectum elaboret, et cum opinione sua Majestati Nostrae pro benigna Nostra ratificatione, ac suprema Resolutione quantocyus submittat.

Finaliter demum etiam id pro superabundanti Nostra in crebrosatos Jaziges, et Cumanos benigna Regia Gratia, atque Clementia, clementer admittimus: Ut Iidem Tres Districtus, eorundemque Incolae, et Inhabitatores, cum praerecensitis, vel in futurum etiam concedendis Immunitatibus, Libertatibus, et Privilegiis Ipsorum, Judicatu, et Jurisdictioni Palatinali applicentur; In Provincialibus vero etiam a Regio Locumtenentiali Consilio Nostro dependeant.

Haec proinde toties repetitorum Jazigum, et utriusque Cumaniae Districtuum Puncta Privilegialia, partim ex avitis (uti praemissum est) Eorundem Regiis Privilegiis extracta, in parte vero etiam per Nos ex speciali nova Gratia, et Munitificentia Nostra superaddita, et concessa, sub praemissarum Obligationum, et Praestationum Condi-

tione, sine qua non, quoad omnes Eorundem continen-
 tias, Clausulas, et Articulos acceptamus, ro-
 boramus, concedimus, et approbamus, ac pro me-
 moratorum Trium Districtuum Incolis, et Inhabita-
 toribus, modernis, et futuris perpetuo valitura de-
 claramus, damus et confirmamus, Salvo Jure alie-
 no. Datum per manus Fidelis Nostri, Nobis sin-
 cere dilecti, Spectabilis, ac Magnifici Comitis Lu-
 dovici de Batthyán, perpetui in Németh-Ujvár,
 Comitatus Castriferrei Supremi, ac perpetui Co-
 mitis, Aurei Velleris Equitis, Pincernarum No-
 strorum Regalium per Hungariam Magistri, Con-
 siliarii item Nostri actualis Intimi, nec non per an-
 telatum Regnum Nostrum Hungariae, Aulae Nostrae
 Cancellarii, in archiducali Civitate Nostra Vienna
 Austriae, die sexta mensis Maji Anno Domini
 millesimo septingentesimo quadragesimo quinto. Re-
 gnorum Nostrorum: Hungariae, Bohemiae, et re-
 liquorum Anno quinto. Reverendissimis, Illustri,
 ac Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis:
 Fratre Emerico e Comitibus Eszterházy de Ga-
 lantha Principe, Metropolitanae Strigoniensis, Ga-
 briele Hermanno e Comitibus Patachich de Zajes-
 da, Colocensis, et Bachiensis Ecclesiarum Ca-
 nonice Unitarum Archi-Episcopis: Petro Bakich
 Bosnensis, Georgio Branyugh Zagrabiensis, Joanne
 Antonio de Benzoni Segniensis, et Modrusiensis,
 seu Corbavien. Ladislao Szörényi Sirmiensis, Mi-
 chaele Carolo e Comitibus ab Althann Vacien-
 sis,

Comite Nicolao Csáky de Keresztszegh Varadien.
 Fratre Nicolao Stanislavich Csanadiensis, Comite
 Sigismundo Berényi, de Karants Berény, Quin-
 que Ecclesiensis, Comite Emerico Eszterházy de
 Galantha Nitriensis, Barone Francisco Xaverio Klo-
 busitzky de Zettény Transylvaniensis, Comite Fran-
 cisco Zichy de Vásonykő Jaurinensis, Comite Fran-
 cisco Barkóczy de Szala Agriensis, Martino Biró
 Veszprimiensis, Comite Francisco Antonio Engl
 de Vagrein Belgrad: et Samandriensis, Alexan-
 dro Mariássy Electo Tininiensis, Comite Paulo
 Forgáts, de Ghymes El. Rosonen. Paulo Spáczay
 El. Arbensis, Joanne Kiss E. Ansarien. Georgio
 Foglár El. Serbiensis, Paulo Bartakovich El. Al-
 misien. Petro Guilielmo Castellein El. Tragurien-
 sis, Stephano Nozdrovitzky El. Catarien. et Ja-
 cobo Fábry Electo Dulcinensis Ecclesiarum Epi-
 scopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus Nec
 non Spectabilibus, ac Magnificis: Comite Joanne
 Pálffy ab Erdőd, dicti Regni Nostri Hungariae
 Palatino, Judice Cumanorum, Aurei Velleris Equi-
 te, et Locumtenente Nostro Regio; Comite Jose-
 pho Eszterházy de Galantha Judice Curiae No-
 strae Regiae; Comite Carolo de Batthyán, per-
 petuo in Németh Ujvár, antelatorum Regnorum
 Nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Ba-
 no; Comite Leopoldo de Nádasd, perpetuo Ter-
 rae Fogaras, Tavernicorum; praedicto Comite Lu-
 dovico de Batthyán, perpetuo in Németh Ujvár,

Fincernarum; Comite Josepho Illésházy de Eadem, perpetuo in Trenchin Dapiferorum; Comite Francisco Eszterházy de praedicta Galantha, Agazonum; Comite Nicolao Pálffy ab Erdőd Curiae; altero Comite Carolo Pálffy a modo dicta Erdőd Janitorum; Illustri S. R. I. Principe, Paulo Antonio Eszterházy de praedicta Galantha, perpetuo in Fraknó Cubiculariorum Nostrorum Regalium per Hungariam Magistris; Ac praelibato Comite Joanne Pálffy a praerepetita Erdőd Comite Poseniensi, caeterisque quam plurimis saepe fati Regni Nostri Hungariae Comitatus tenentibus, et Honores. **Maria Theresia** mpr. Comes Ludovicus de Batthyán mpr. Franciscus Koller mpr.

Anno 1745. die 24-ta Mensis Maji in Castello Nostro Királyfalva, praesentia, Suae Majestatis Sacratissimae Dominae Dominae Nostrae Clementissimae ab intus nominatis Districtibus benigne elargita Privilegia exhibita sunt Nobis, et praesentata; ac per Nos debito homagialis fidelitatis cultu humillime acceptata. Comes Joannes Pálffy mpr.

